



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

B. Conradus Placentinus C. 19. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## B. CONRADUS PLACENTINUS C.

19. Februarij.

**D**um feras venatur **CONRADUS**, ipse venator cælo fit præda. Etenim cum, quod feræ dumetis se abdidissent, irâ succensus silvas quoque succenderet, facinusque in nescio quis pauperculus laqueo jam jam lueret, accurrit **CONRADUS**, & innocentem confessione suâ, damnum nummis redemit. Subinde iterum silvas saltusque, sed sanctius jam amavit, & in loco, quem hodie etiam nomine suo nobilitat, vitam solum agere instituit, jamque cælum captare, cælo retia ponere. Verum cum vicissim retia illi Cupido strueret, artes fugiendi nuper à feris edoctus in vepres se nudum abjecit, indeque iterum saucium Cupidimen rixit. Porrò adolefcenti scelerato, & jam jam hastâ è cælo transfigendo clypeum preces suas objecit. Hospitem Episcop. Syracusanum cum haberet, quatuor in symbolam à cælo placentas accepit, aliàs pro operis pannes recentes. Alii cum carnem illi suillam feriâ VI. apposuissent, iussit hanc in piscem abire, calumniamque impactam ostensis spinis, squamisque elusit. Mortuus in genibus tamen deprehensus est stationem suam tenere. funus ultrò luxit sive laudavit potius æs  
cam-

128 VITÆ SANCTORUM. 20. Feb.  
campanum Neti & Hyblæ. utraque ci-  
tas cum sibi corpus vindicaret, Hyble-  
fes neque movere, Netini facili negotio  
loculum auferre potuerunt, puro quod  
propior Netinis jam assueverat cum illis  
habitare. *Ex Ferrar.*

*Cum spes misericordie est, cum tempus  
est venie, confiteamur patri, ne Judicem  
sentiamus: prodamus quæ fecimus pietati,  
ne severitati cogamur exolvere, quæ ta-  
scimus; dicamus indulgentiæ tempore delicta  
nostra, ne ad excipiendam sententiam de-  
fleamus: S. Pet. Chryf. ferm. 42.*

S. EUCHERIUS EP. 20. Feb.

**E**UCHERIO nascituro infulam Aure-  
lianensem Angelus promisit; dedit  
deinde hanc Carolus Martellus; sed i-  
dem, cum aures calumniatoribus præ-  
beret, pessimo consilio ademit. Excepit  
Colonia exulem parum jam morantem,  
quâ in parte exilii potissimum viveret,  
cum exilium esse totum orbem non ma-  
lè jam tunc credidisset, cum Monachum  
prius quam Episcopum induit. At verò  
gravius jam erit Carolo calo exulare.  
Certè EUCHERIUS dum inter preces in-  
ferorum ergastula contemplatus est, vi-  
dit hunc ipsum Carolum non jam pur-  
purâ, sed ignibus ardere, didicitque ob-  
manus sacris injectas spoliisque paupe-  
rum ditatos milites (time ætas nostra)

501-